Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 183
Quelle:
Copyright:

rium ἀκεφαλον in *Geneſin*, qui nunc orditur a *v.* 2. C. I. *Et tenebre erant*, et finit C. *ult.* in hunc modum: *cuius eternitatis aditum nobis conferat, qui uiuit et regnat in ſecula ſeculorum amen.* Ad calcem: *Anno d. 1347. in Ragern.* Eſt id Coenobium O. S. *Benedicti* in *Moravia*, cujus initia ad annum 1048. referuntur. Sub finem igitur Seculi ejus tertii ſcripta eſt haec Expoſitio, cujus autor quidem non proditur; aetas tamen inde patet, quod *Henricum de Gandavo* adpellet, qui anno 1293. exceſſit e vita.

II. *fol.* 70. ſuccedit, ut in calce manifeſtatur, *Poſtilla Magiſtri Nicolai de lira ſuper Danielem.* Ejus Praefamen incipit: *Ego viſionem multiplicaui, in manibus prophetarum aſſimilatus ſum. Oſee 12. Verbum propoſitum primo exponendum eſt* &c. Atque iſtud in Editis non reperio, ſed aliud, cujus initium: *Danieli autem dedit Deus intelligentiam* &c. et in quo locus noſter *Oſee* ſub finem tantummodo citatur. Biſne igitur *Danieli* praefatus ſit *Liranus*, an alterutrum Praefamen ſubſtitutum ab Alio? Extrema noſtri una cum expoſitione C. I. II. et parte III. evulſa ſunt e Codice.

III. *fol.* 98. *Poſtilla*, ut in calce, *ſuper Esdram.* Prologus incipit: *Erit ſacerdos ſuper ſolio ſuo. Zachar. 6. Secundum quod in libris precedentibus dictum eſt deus ſub ratione abſoluta* &c. Integra, ut in Editis.

IV. *fol.* 104. p. 2. *Poſtilla*, ut in calce, *ſuper Neemiam.* Initium: *Uerba Neemiae, Poſtquam deſcripta eſt deſcriptio populi ſub esdra* &c. Ut in Editis.

V. *fol.* 112. *Poſtilla*, ut in calce, *ſuper librum Heſter.* Init: *In diebus aſſueri. Poſtquam deſcriptus eſt progreſſus populi de captiuitate* &c. Ut in Editis. Ad calcem:

Explicit hic codex laudetur omnipotens rex.

VI. *fol.* 117. absque Titulis, *Poſtilla ſuper Tobiam.* Init: *Tobias ex tribu et ciuitate neptalim &c. In exponendo libros qui non ſunt de canone* &c. Ut in Editis; abeſt tamen *Lirani* Prologus: *Haec oportuit facere* &c.

VII. *fol.* 122. p. 2. *Poſtilla*, ut in calce, *ſuper librum Judith.* Init: *Arphaxat itaque rex medorum. Poſtquam* (l. Poſt) *byſtorias ſuſanne bel et draconis que contigerant* &c. Ut in Editis. Hic ad finem *Poſtillarum Lirani fol.* 129. adſcriptum eſt Subplementum Commentarii ſuperioris in *Geneſin Caput* XXV. a *v.* 1. ad *v.* 19. complexum.

VIII. *fol.* 130. *Poſtille*, ut e calce adſumo, *boneuenture ſuper Eccleſiaſtem.* In Editione *Opp. omn.* ſive *Romana* 1588. ſive *Lugdun.* 1668. extat T. I. haec Expoſitio, depromta, ut habet Nota praevia, ex antiquo Exemplari Monaſterii ſ. *Johannis in Seyths* (Seiz) Ord. *Cartbuſ.* Fuit. Monaſterium iſtud in noſtra *Styria.*